



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Philippi Ecclesiae Eystettensis XXXIX. Episcopi. De
Eivsdem Ecclesiae Divis Tvttelaribvs. S. Richardo. S.
Willibaldo. S. Wvnibaldo. S. Walpvrga. Commentarius
nunc primum evulgatus**

Philipp <Eichstätt, Bischof>

Ingolstadii, 1617

XL. Marquardus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70477)

gnam persecutionem à diuersis tyrannis patitur, &c. Idem Episcopus emit arces VVaribergensem, & Gredingensem. Recuperauit Herenriedum. Huius Episcopi consensu vastatum ac solo equatum est Erlshofense castrum, latronum ac raptorum insarac latibulum. In Italiam Imperatorem Henricum VII. secutus est; Ioanni filio eius præceptor & moderator attributus, cum eodem in Bohemiam abiit. Hic etiam Episcopus Gundikarum huius nominis secundum Episcopum Eystettensem miraculis coruscantem transtulit. Anno Domini M. CCC. IX. Miracula quoque plura, qua per ipsum fiebant, populo prædicauit, hominesq; ad deuotionem prædicti sancti prouocauit, qui adhuc à multis, ut sanctus adoratur ex deuotione, licet adhuc in sanctorum Catalogo non sit descriptus, nec canonizatus. Tandem Philippus annis fessus ad superos migravit año M. CCC. XII. Postridie S. Matthiæ hoc est XXV. Februarij, cum sedem Episcopalem tenuisset annis XVI. & mensibus duobus. De eodem circumferuntur hi versiculi

Regula Bernhardi diuini sparsio verbi,

Dogma Theologicum sic & piè pauit egenum,

Hæc te Philippum fecerunt scandere thronum,

Hic præfularem post hoc cæleste beamen.

Scriptis Philippus stylo non ineleganti vitam S. Walpurgis, quam edidit Tomo IV. D. Canisius, & vitam S. Willibaldi, quam hoc tomo publicam, licet de patre, fratre & sorore S. Willibaldi non pauca interserat.

XL. Marquardus.

Præful Marquardus meritis redolens quasi nardus.

Est virtutum dos, speculum, rosa, Pontificum flos.

Ex nobili familia de Hagel. Sedit annos duos, electus anno Domini M. CCC. XII. Mortuus año M. CCC. XXIV.

XXIV. postridie Festi S. Richardi; nam qui Marquardo annos octo in Episcopatu tribuunt, ij computant quoque sexennium illud, quo Philippi Antecessoris sui Coadiutorem egit. Diligens & industrius paterfamilias, qui æs alienum non modò dissoluit, sed & bona Episcopatus oppignerata redemit; & magnis accessionibus auxit; corpore decorus, statura procerus, literarum scientia eruditus, sermone facundus, in spiritualibus prouidus, in temporalibus circumspectus, in vita & conuersatione placidus, & in moribus ordinatus, his enim elogiis afficit illum M. S. Codex; qui, vt eiusdem Codicis verba vsurpem, inter alia famosa sua pietatis opera ob laudabilem & perennem recordationis suæ memoriã, ac suam suorumque progenitorum remedium & salutem, in Parochiali Ecclesia S. Mariæ ciuitatis Eystettensis, honestum collegium canonicorum instituit, ipsumque largis dotauit prædiis, & honoribus exaltauit. Quare etiam in choro eiusdem Parochialis Ecclesiæ, sepeliri voluit. De quo versificator quidam istos versiculos cecinit.

*Extulit Ecclesiam Marquardus honoribus istam,
Rebus & innumeris, paucis vixit quibus annis,
Laus, insigne genus, species, sapientia, virtus,
Hic præsul mitis alios præcellit in istis.*

XLI. Gebhardus hoc nomine Tertius.

Ex familia Comitum de Graispach. Antea Præpositus Eystertensis Ecclesiæ cathedralis, præfuit annos duos & menses octo; secutus Imperatorem Ludouicum Bauarum in Italiam. Quo Pisas obsidente, cum in Imperatoris exercitu pestis grassaretur, eadē lue ipse pariter correptus & confectus fuit, vt præter

M. S.